id est intelligebant. Unde et videntes appellabantur in eo
quod libri regum hystoria manifestat dicens. Qui enim
nunc propheta dicitur hodie olim appellabatur videns. Unde
prophetie que ab ipsis prophetis videbantur visiones dicuntur.
Unde est visio ysaie. visio amos et cetera. Et quia
ista intellectualis est ideo utique subtilior aliis habetur.
Hoc genere visionis locutus est iohannes diuinitus
ubi dum in mente tanta ostensa sunt sacramenta.
Facta est autem hec ipsa revelatio per angelum. Sed
ipse angelus figuram xpi tenuit qui loquebatur per illum
sicut et ille qui olim moysi loquebatur. Unde idem moyses
aliquando dicit dominum ad se locutum fuisse aliquando vero angelum :.

Apocalypsis ihesu xpi. Explanatior erit sensus si dixisset adiuncto verbo
hec est apocalypsis sed hunc modum locu-
tionis qui cum diminutione verbi fit fre-
quenter invenimus in scripturis divinis. Unde et
Salomon ait. Hec sunt parabole salomonis. aut
hec sunt verba ecclesiastes. sed tantum parabole salo-
monis et verba ecclesiastes regis dicitur. Sic etiam
ysaias dicit visio ysaie absque ullo adminiculo verbi
et sic reliqui. Taliter autem loquentes subauditores
necessarias tales sententias habere docuerunt ut
ubi greca cum legimus apocalypsis ihesu xpi sub-
audiendum est hec est. Est autem apocalypsis grecus
sermo et latine dicitur revelatio sive manifestatio
eo quod in ea status presentis et future ecclesie
beato iohanni et in illo ecclesie sit manifestatus. Quam
dedit deus illi palam facere servis suis. Et hic